

- peccatum mortale sit distincta ab illa, quam actus habet ex objecto.
3. An malitia peccati mortalis sit infinita.
  4. An sit aliquod peccatum ex natura sua veniale, et quæ sit ejus ratio.
  5. Qualis sit divisio peccati in mortale, et veniale.
  6. An peccatum veniale possit fieri mortale.
  7. An in omni subjecto, in quo potest esse mortale, possit esse veniale.
  8. An peccatum mortale necessario debeat præcedere veniale, vel e contra.

## DISPUTATIO III.

DE DIVISIONE PECCATI IN COMMISSIONEM ET OMISSIONEM, CONTINENS SECTIONES QUINQUE.

1. Qualis sit prædicta divisio, et quo modo ejus membra differant.
2. Utrum de essentia omissionis sit aliquis actus positivus.
3. Utrum actus qui fit eo tempore, quo omittitur præceptum, et est incompossibilis actui præcepto, sit peccatum.
4. Quo tempore censeatur quis peccare peccato omissionis.
5. De gravitate omissionis, unde sit mendanda.

## DISPUTATIO IV.

DE PECCATO EX PASSIONE, IGNORANTIA ET MALITIA, CONTINENS UNICAM SECTIONEM.

1. An peccatum recte dividatur in illa tria membra.

## DISPUTATIO V.

DE CAUSIS PROPRIIS ET INTERIORIBUS PECCATORUM, CONTINENS SECTIONES NOVEM.

1. An in voluntate possit esse peccatum.
2. An in intellectu possit esse peccatum.
3. An veniale et mortale peccatum tribuendum sit rationi inferiori, vel superiori.
4. An in appetitu sensitivo possit esse peccatum mortale.
5. An possit esse veniale.

6. An omnis concupiscentia appetitus sit semper veniale peccatum solum ex defectu voluntatis.
7. An et quando delectatio appetitus sit mortale peccatum ex consensu voluntatis.
8. An in potentiis exterioribus sit peccatum.
9. An sit causa alia interna peccati.

## DISPUTATIO VI.

DE CAUSA EXTRINSEGA PECCATI, CONTINENS UNICAM SECTIONEM.

1. Utrum Deus sit causa peccati.

## DISPUTATIO VII.

DE EFFECTU ACTUALIS PECCATI, QUI EST PÆNA, CONTINENS SECTIONES QUATUOR.

1. Utrum pœna, ejusque reatus sit proprius effectus peccati ejus qui punitur.
2. An peccatum possit esse pœna alterius peccati.
3. Utrum pœna peccato mortali debita sit infinita, et æterna.
4. An peccatum veniale mereatur æternam pœnam.

## DISPUTATIO VIII.

DE PECCATO HABITUALI, QUOD EX ACTUALI NASCITUR, CONTINENS UNICAM SECTIONEM.

1. An transacto actuali peccato aliquid habituale in anima maneat, quod vere sit peccatum, quid sit illud.

## DISPUTATIO IX.

DE PECCATO ORIGINALI, CONTINENS SECTIONES SEX.

1. An sit originale peccatum.
2. Quid sit.
3. De causis peccati originalis.
4. An peccatum originale ad omnes Adæ filios derivetur.
5. Quos defectus, vel pœnas contrahamus in hac vita ratione peccati originalis.
6. Quæ pœna respondeat originali peccato in vita futura.

## TRACTATUS QUINTUS.

## DE VITIIS ET PECCATIS.

## DISPUTATIO I.

## SECTIO I.

DE ESSENTIA ET GRAVITATE PECCATI.

*Quid sit actuale peccatum.*

Ut hæc tota materia breviter comprehendatur, notandum, tametsi supra dictum sit, nomen *peccati* ad actum moralem pertinere: latius tamen interdum patere rationem ejus: distingui enim solet a theologis peccatum in actuale et habituale: actuale propter conversionem et moralem malitiam, quas supra explicavimus, adjunctam habet inordinationem quamdam a Deo ultimo fine, ratione cujus præcipue a theologis consideratur, et peccatum nominatur, ut 1, 2, quæst. 71, art. 6, ad 5. D. Thomas advertit, hoc autem peccatum quatenus conversio est, habitum seu vitium generat, quod vere peccatum non est, quia per se non avertit a Deo hominem in quo inhæret, ut dicemus: ut tamen, peccatum actuale aversio est a Deo ultimo fine, quoddam habituale peccatum in anima relinquit, a quo transacto actu denominatur homo peccare, ut infra patebit: et hoc habituale peccatum, aut propria voluntate contrahi potest, et dicitur personale: aut aliena, et dicitur originale peccatum. Ergo de actuali peccato tanquam fonte agendum nobis est: postmodum vero de habituali, personali et originali, quia illa participant rationem veræ culpæ, et veluti effectus quidam sunt actualis peccati. De ratione autem generali, et communi horum omnium solum hoc videtur considerandum in eo convenire, quod omnia continent aversionem, vel deordinationem voluntariam ab ultimo fine, reliqua omnia in singulis peccatis melius explicabuntur: de habitibus autem vitiosis D. Thomas in tota prima secundæ, nihil dixit præter ea, quæ in præcedenti tractatu notavimus.

1. *Prima propositio.* — Prima propositio. Peccatum est actus, seu transgressio libera divinæ legis: in hac definitione in se, omnes conveniunt cum D. Thoma et Magistro, d. 33, et sumitur ex Ambrosio, libro de Paradiso, cap. 8, Augustino, 22, contra Faustum, c. 27. Nam quod ait ipse, *dictum, factum, vel concupitum*, nomine actus voluntarii comprehendimus. Idem, lib. 2, de Consensu Evangelistarum, cap. 4, et lib. de duabus Animabus contra Manich., cap. 11, et 1 Retractionum, cap. 14, peccatum ait esse voluntatem faciendi, quod justitia vetat, nomine *justitiæ* legem significans, *actus* ergo dicitur peccatum, ut illud ab *habituali* peccato distinguamus: *liberum*, ut a peccato naturæ separaretur, et hoc modo dicit D. Augustinus, lib. 3, de libero Arbitrio, cap. 13 et sequentibus, non esse peccatum, nisi sit *voluntarium*: et lib. de Perfectione justitiæ, responsione 4, et de Vera religione, capit. 14, de Natura et Gratia, cap. 67, et locis citatis, docet *libertatem* esse de ratione peccati: Ambrosius, lib. 7, de Cain et Abel, cap. 7, et in Psalm. 40, Epiphanius, hæresi 16, *liberum arbitrium* dicit esse auctorem peccati, quod infra latius dicemus, in disput. 6, et ratio sumi debet ex dictis de malitia morali supra: est enim moralis privatio vel honestatis, vel rectitudinis debite ad ultimum finem, non est autem moralis privatio, nisi ubi adesse potest obligatio et debitum: non est autem obligatio et debitum nisi ubi libertas: quia qui necessario agit, neque indiget lege, neque propter transgressionem ejus, juste puniri posset: vide Augustinum, libro de Gratia et libero Arbitrio, cap. 2, et Epist. 46, ad Valent., et de Corruptione et Gratia, fere per totum. Quia autem duobus modis contingit actum esse liberum,

scilicet per se, vel per alium: definitio ab utroque modo abstrahit ut comprehendatur etiam actio exterior. Reliqua definitionis pars distinguit actum peccati ab actu virtutis, et indifferenti. Dicitur autem *contra legem Dei*, non quia transgredi leges humanas non sit etiam peccatum, sed ad indicandum defectum peccati potissime sumi in ordine ad Deum, et ad comprehendendum leges omnes: nam ideo transgressio cujuscumque legis peccatum est, quia ibi includitur transgressio legis divinæ naturalis, sicut nulla est potestas nisi a Deo, ita nulla lex obligat nisi in virtute divinæ legis.

2. *Objectio prima.* — Sed contra est primo, quia hæc definitio neque peccato omissionis, neque veniali convenit, quia illud non est actus, et hoc non est contra legem. Respondeo primo actum non pertinere ad formale, sed materiale peccati, omissio autem fere semper fundatur in aliquo actu, licet per se et formaliter non sit de essentia ejus. Secundo ideo dixi esse actum, vel transgressionem, ut comprehenderem omnem prævaricationem et inobedientiam divinæ legis: actualem tamen, et voluntariam, sive in agendo, sive in non agendo: aliter, et bene respondet D. Thomas, ut licet videre in illo, 1, 2, q. 73, art. 1. De peccato veniali nunc breviter dicitur, sicut analogice est peccatum, ita analogice definitionem peccati convenire illi, ut suo loco dicemus, disput. 2, sect. 4.

3. *Objectio secunda.* — Sed contra secundo ex Gregorio II, dist. 34 et 36, ubi negat peccatum esse actum, vel aliquid simplex, *sed est* (inquit) *quoddam complexum significabile*, scilicet agere contra legem, ex D. Augustino, lib. 1, de libero Arbitrio, cap. ultimo, dicente peccatum esse neglectis rebus æternis, temporalia sectari. Idem fere lib. 83, quæst. 30. Fundamentum ejus est, quia non prohibetur actus, sed agere. Hoc vero nihil ad rem facit: nam quidquid est, sive simplex sit, sive compositum, tamen suo modo unum est, quod incomplexe potest et debet concipi et significari, ut peccatum significatur nomine *furti*, vel similibus: quod autem isto modo concipitur, potest sic definiri: vere ergo dicitur peccatum: seu quod subest huic nomini, esse actum: licet peccare sit agere. Vide Cajetanum, citato art. 1, quæst. 73.

4. *Secunda propositio.* — Secunda propositio. Peccatum ut sic, est quoddam malum morale: id est, malum rationalis naturæ, ut ratione utitur. Est communis theologorum, et

significat sacra Scriptura, cum dicit peccatores fieri similes jumentis insipientibus, psalm. 48, et ideo habere animam suis, 2 Petr. 2, unde Augustinus, 1 ad Simplic., quæst. 2. Propterea dicit peccatum esse hominis deordinationem et perversitatem, et ratio est, nam peccatum formale est contra legem: ergo contra rectitudinem rationis: ergo morale malum. Loquor autem formaliter, quia peccatum defectum significat, et ideo propria forma ejus est deformitas, ut patet ex dictis.

5. *Tertia propositio.* — *Quod peccatum sit injuria et offensa Dei, lib. 7, de Gratia, c. 14, a num. 46.* — Tertia propositio. Peccatum essentialiter etiam includit deordinationem aliquam ab ultimo fine. Est certa, nam propterea in Scriptura peccatum, ut lib. 7, de Gratia, cap. 14, a num. 46, probamus, dicitur offensa Dei, impietas, etc., Isai. 1, Jerem. 2, Psal. 13, et punitur: quod etiam ex parte Philosophi cognoverunt, ut patet apud Aristotelem 10, Ethicorum, cap. 8, et apud Platonem, in Phædone: et ratio est, quia peccatum formaliter significat defectum rectitudinis debitæ operationis humanæ in ordine ad finem: hæc autem rectitudo præcipue attenditur circa ultimum finem. Confirmatur: nam lex est regula, quæ præscribit homini modum, quem servare debet in suis operibus, ut ad finem ultimum perveniat: ergo hoc ipso, quod peccatum est deordinatio a fine ultimo, est nonnulla injuria ipsius legislatoris. Unde ad Roman., 2: *Per prævaricationem legis Deum inhonoras*: nam qui peccat virtute saltem, non vult habere Deum pro ultimo fine in illo actu, sed hoc ipsum est deordinatio quædam: ergo. Vide D. Thomam, citato loco, et 1 part., quæst. 48, art. 6, et 2, 2, quæst. 10, art. 3.

6. Ex dictis definitur dubium, quod Cajetanus eodem loco disputat, an peccatum, eo ipso quod contra rationem est, sit aliquo modo contra Deum, et definit esse: quod principium verum est de peccato mortali, nam veniali solum analogice inconvenit, ut, disputatione sequenti, sect. 4, melius exponetur. Addendum solum est non oportere hoc loco distinguere de Deo, ut finis naturalis est, vel supernaturalis, quia solum agimus de peccato actuali, hujusmodi autem peccatum semper continet deordinationem a fine naturali, a supernaturali vero consecutione quadam: tum quia peccatum contra legem naturæ est etiam contra legem gratiæ, et virtutes infusas: tum etiam quia supernaturalis beatitudo sine naturali rectitudine consistere non potest: si autem

## SECTIO II.

*Quid sit gravitas et quantitas peccati, et unde sumatur.*

1. *Notatio prima pro decisione.* — *Notatio secunda de quadruplici quantitate peccati.* — Supponendum primo est aliquam esse in peccato gravitatem, vel quantitatem, quod ex modo loquendi patet in Scriptura, Apoc. 14, *juata quantitatem delicti*, etc., Deuter. 21, *quantum glorificavit se*, etc, item patet, quia proprietates, vel deordinationes quantitatis peccato tribuuntur, ut esse magnum, vel parvum: æquale, vel inæquale, quæ omnia per metaphoram intelligenda sunt, eo modo quo dicuntur in qualitatibus. Adverte vero secundo, quod in peccatis quadruplex quantitas considerari potest ad modum, quo calor abstrahendo ab omni intensione habet primo certam quantitatem perfectionis essentialis. Secunda quantitas est quasi multitudinis, ut cum plures rationes peccatorum in eodem actu conjunguntur, quæ omnia patent ex usu loquendi et ex sufficienti enumeratione.

2. *De prima quantitate.* — Tertio ex dictis facile colligitur, unde metienda sit quantitas peccati, prima enim, quæ ad essentiam pertinet, inde mensuratur, unde oritur, scilicet proxime ex bono quo privat; remote, et quasi ex radice, ex objecto, ut D. Thomas, 1, 2, q. 73, art. 3, docuit: ex quo principio definit ipse, art. 4, illud peccatum gravius esse, quod perfectiori virtuti opponitur. In quo advertere oportet eidem virtuti plura peccata specie diversa posse esse contraria, ut justitiæ furtum, et homicidium, etc., non est ergo intelligendum omnia peccata contraria virtuti perfectiori, esse in specie sua graviora, quam peccata contraria virtuti inferiori, sed intelligendum est peccata ex genere suo esse graviora, quæ meliori virtuti contrariantur proprie utendo nomine *generis*, atque adeo maximum peccatum contrarium meliori virtuti esse majus maximo contrario inferiori. Contingere tamen potest aliquod peccatum contrarium inferiori virtuti esse in specie sua majus, quam aliquod aliud contrarium superiori virtuti, ut fornicatio est majus peccatum quam furtum, et ratio est, quia unum peccatum non destruit totam unam virtutem, sed quasi particulam ejus, et ideo si peccatum minimum quid destruat in superiori virtute, aliud vero destruat maximam perfectionem inferioris virtutis, hoc erit

peccatum sit directe contra legem supernaturalem, primo avertit a fine supernaturali, ex consequenti vero a naturali, quia, ut supra dictum est, tale peccatum aliquo modo, scilicet concomitanter, est contra naturalem rationem, quia hæc vetat deficere a Deo fine supernaturali debite proposito.

7. Sed quæret aliquis, quæ inordinatio sit magis essentialis peccato, illane quæ sumitur ex ordine ad rationem; an illa quæ sumitur ex ordine ad ultimum finem: ratio, et interrogatio supponit has inordinationes esse distinctas, quod non est certum, sed in disputatione: tamen quia saltem ratione differunt, dico breviter, sicut actus virtutis, ut respicit bonum objectum, bonus est, et inde habet debitum ordinem ad ultimum finem, ex quo denominatur *rectus actus*, ita actus peccati ex deformitate ad rectam rationem proprie dicitur *actus malus*: peccatum vero dicitur ex carentia rectitudinis ad ultimum finem, quod patet ex usu omnium loquentium de peccato, et ex his quæ, initio, diximus de notione ejus, et quia supremus defectus actus humani est, qui sumitur in ordine ad Deum, et ultimum finem: peccatum autem est supremus defectus creaturæ rationalis.

8. Sed contra. Nam si quis cognosceret actum aliquem esse contra rectam rationem, ut tamen invincibiliter ignoraret Deum, ille peccaret contra rectam rationem, et tamen nihil inordinatum ageret contra ultimum finem, quia ubi non est voluntas, ibi non est moralis deformitas, et ubi est ignorantia invincibilis, non est voluntas. Respondeo quidquid sit, an talis ignorantia sit possibilis, tamen illa posita, actus malus etiam careret illo ordine, quem habere debet ad ultimum finem, et hoc non pendet ex cognitione, vel voluntate operantis, quia intrinsece et essentialiter convenit hoc actui malo, ut malus est; sicut e contra, actus virtutis ratione suæ honestatis habet rectitudinem debitam ad ultimum finem, licet ab operante non referatur, vel etiam non cognoscat. Aliam quæstionem tractat, ibidem, Cajetanus, quid sit magis de essentia peccati aversione an conversio; et definit conversionem esse magis necessariam, quæ tamen nobis non est necessaria, nam dicendum est, conversionem esse materiale peccati, aversionem vero esse formale, reliqua quæ hic dici poterant de specificatione et distinctione specifica peccatorum, petenda sunt ex dictis supra, de malitia: aliquid tamen de peccatis mortalibus addemus, disputatione sequenti.

ex specie sua majus, ut furtum, quod solum destruit æqualitatem in rebus exterioribus remanentem, quod minoris momenti est, quam destruere castitatem. Sed contra: nam minima rectitudo nobilioris virtutis, ut justitiæ, est majoris momenti, quam maxime inferioris. Respondeo negando antecedens, nam imo secundum rectam prudentiam, quæ debet esse judex hujus existimationis, actus inferioris virtutis sæpe est nobilior.

3. Sed quæret aliquis in vitiis, quæ opponuntur eidem virtuti per excessum et defectum, unde intelligemus, quod sit majus in sua specie, quia ipsum positivum, quo privant, non potest esse rectum, et in hujusmodi lege, verbi gratia, vitium per excessum est majus, in liberalitate vero vitium per defectum est majus. Respondeo, in genere dici potest ex Aristotele 6, Ethicorum, cap. 6 et 7, in his vitiis illud esse majus, quod magis destruit rectitudinem virtutis cui opponitur: possumus autem advertere quasdam virtutes per se ordinari, ut cohibeant hominem, ut humilitas: alias vero ut magis impellant, ut liberalitas. In prioribus virtutibus peccatum per excessum est majus; in posterioribus peccatum per defectum, cujus signum est manifestum, quia tale vitium semper est tali virtuti magis dissimile, ut avaritia liberalitati magis quam prodigalitas.

4. *Spiritualia et carnalia in hac prima quantitate comparantur.*—Ex hoc eodem principio definit D. Thomas, in ea quæst. 73, a. 3, ex D. Gregorio, peccata spiritualia esse graviora carnalibus: quod eodem modo interpretandum est, ex genere suo, sicut præcedens doctrina: peccata enim spiritualia ex genere suo graviora sunt, non tamen singulæ species peccatorum spiritualium excedunt singulas species peccatorum carnalium: imo in genere loquendo, quoad multas conditiones sunt peccata carnalia graviora, quarum una illa est, quia sunt magis turpia, et ideo majorem inurunt infamiam, ut D. Thomas, citato articulo ad septimum, adnotavit, et indicat etiam Gregorius, et Augustinus 1, Soliloquiorum, cap. 10, quomodo autem non semper peccatum, quod est turpius: sit etiam gravius, docet bene divus Thomas, 2, 2, quæst. 119, art. 2, ad 2, et quæst. 142, art. 4.

5. *De secunda quantitate peccati allata n. 1.*—Quare quoad secundam gravitatem peccati dico oriri eam ex illis circumstantiis, quæ speciem non mutant, et quoad hoc eadem est ratio de peccato quæ de malitia: quare conditiones

quædam peccatorum, quæ a D. Thoma inter causas peccati enumerantur, ut ignorantia, passio et malitia, et peccatum augere possunt, quo circumstantiarum numero continentur, fere enim omnes illæ reducuntur ad circumstantiam *quomodo*: et ratione etiam hujus gravitatis efficitur sæpe, ut peccatum ex specie sua minus grave, sit simpliciter majus, quam aliud: et ratio est, quia licet gravitas essentialis præcipua sit, tamen illa etiam, quæ ex circumstantiis sumitur, tanti est in materia morali, ut interdum plus conferat secundum prudentem existimationem ad peccati augmentum morale, quam ipsum objectum. Dices: nunquam in naturalibus contingit, ut res, quæ in essentia specifica est minus perfecta, in individuo sit perfectior propter circumstantiam. Respondeo primo: multi hoc negant, ut patet in celo comparato ad multa animalia, et ratio reddi potest, quia absoluta perfectio creaturæ non ex sola substantia, sed etiam ex accidentibus magna ex parte constat, ut D. Thomas, prima parte, quæstione quinta, articulo sexto, docet. Respondeo secundo: licet physicæ species maneat in individuo, tamen in ordine ad mores et usus hominum in individuo indicantur melius propter accidentia, ut patet in argento comparato ad aurum: in proposito ergo malitia, qua physice videtur esse in essentia perfectionis speciei, in individuo propter accidentia est simpliciter deterior in ordine ad mores hominum. Cujus signum etiam est, quia secundum rectam prudentiam tale peccatum existimatur majori pœna dignum.

6. *De tertia quantitate peccati posita n. 2.*—De tertio gravitatis genere, nihil aliud dicendum est, quam illam ex circumstantiis, quæ speciem mutant, oriri: ex quo etiam fit, ut peccatum ex objecto levius, propter hanc quantitatem censeatur simpliciter gravius: quare hæc omnia pensanda sunt, ad ferendum judicium de gravitate peccati, et illud præterea in his præcipue, quæ ex jure positivo pendunt: quam scilicet vim habet præceptum impositum, et quam obligationem legislator potuerit et voluerit imponere, quod partim ex materia, partim ex forma, et verbis legis colligendum est.

7. Ex his tandem facile evertitur Stoicorum error, qui, ut refert Cicero, 3 et 4, de Finibus, et latius paradoxo 3 et 4, dixerunt omnia peccata esse paria, quos secutus est postea Cyprianus, teste Augustino, de Hæresibus, in 82, et videtur favere D. Basilius, in Quæstionibus brevioribus, in 293, dicens in Testamento no-

## DISPUTATIO II.

## DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

In disputatione præcedenti, nonnullas divisiones peccati explicatas reliquimus, quia faciliores erant, nunc tres præcipue supersunt cognoscendæ et exponendæ, quæ ad cognoscendam peccati essentiam et gravitatem necessariæ sunt. Prima est ea, quam proposuimus, in qua peccati deformitas erit radicatus explicanda: de qua divus Thomas, 1, 2, quæst. 73, art. 3, et quæst. 88 et 89; nos vero de tota re hic dicemus.

## SECTIO I.

*An sit aliquod peccatum mortale, et quæ sit ejus gravitas.*

1. *Prima propositio dari peccatum mortale—De quidditate ejus prima sententia.*—Prima propositio. Certum est de fide multa dari peccata mortalia. In hac conveniunt catholici omnes et hæretici, ut patet ex illis locis, in quibus peccatum vocatur mors animæ, Matth. 18 et 19, ad Roman. 8, ad Galatas 3, 1, Joan. 8: *Qui non diligit, manet in morte.* In explicanda autem hujus peccati ratione, est magna dissensio, et omissis hæreticis, cum quibus disputabimus, sect. 4, prima sententia est peccatum mortale esse illud, cui æterna pœna lege Dei debetur, quam putat probatiorem Scotus 2, d. 21, et ea uti videtur D. Thomas, supra, et Augustinus, t. 9, in Joan., et Enchirid., c. 64, quæ sententia verum quidem dicit a posteriori: non tamen explicat rationem peccati mortalis, mortale enim est non quia tali pœna punitur: perjurium enim est peccatum mortale, licet non puniretur a Deo, et dæmones peccata mortalia committunt, quæ non puniuntur novis pœnis.

2. *Secunda sententia.*—*Tertia sententia verior.*—Secunda sententia affirmat peccatum esse mortale, quia divino præcepto adversatur, ita Scotus, supra, et Gabriel, 2, dist. 2. Quod si objicias hoc esse commune omni peccato, respondet Scotus solum peccatum mortale esse verum, ut solum peccatum; et reliqua non esse contra præceptum, sed contra consilium, quod non esse recte dictum infra demonstrabitur: et ideo Adrianus, quodlib. 7, quæst. 3, explicans hoc, dicit peccatum mortale esse contra præceptum in re gravi, quod licet in re forte

vo nusquam peccatorum distinctionem majorum ac minorum reperiri, contra quem errorem disputat Augustinus supra, et epistola 29, ad Hieronymum, et Hieronymus, lib. 2, contra Jovinianum, et epistola ad Celantiam, et ex Scriptura patet quædam peccata esse majora, quædam minora, Matth. 5, a vers. 19, Joan. 19: *Qui me tradidit tibi majus peccatum habet*, et Ezechiel, 16, vers. 47, et experientia atque ratione constat, quia cum gravitas peccatorum, et tam multis jam enumeratis insurgat, quæ non æque in omnibus peccatis reperiuntur, constat non omnia esse paria. Ratio etiam D. Thomæ 1, 2, quæst. 73, art. 2, optima est, quia non omne peccatum omnem ordinem et rectitudinem rationis destruit: et hoc sensu ait, peccatum non esse puram privationem: non quia necessarium sit omne peccatum, præcipue quoad formale ejus, aliquid positivum continere, nam tota peccati deformitas privatio est, et vere potest dari pura omissio, de qua, disp. seq., sed quia nullum peccatum contrarium est omni rectitudini rationis; sed aliud rectitudini solum justitiæ, aliud solum temperantiæ, etc., quia igitur non totum bonum tollit, ideo est non pura, id est, non totalis privatio. Ex quo evidenter sequitur posse esse magis, vel minus gravem, sicut etiam perspicuum est, plura peccata destruere magis rectitudinem rationis, quam unum, et consequenter esse minus malum.

8. Rationes Stoicorum omitto, neque D. Basilius contrarium sentit, homilia enim 12, ex Variis, et homilia in Psalm. 7, et in 14, aperte docet fidei veritatem: quare ille liber quæstionum multis non probatur tanquam Basili. Alii dicunt illa verba fuisse inducta ab hæretico, vel incipienti: vel certe Basilius solum docere Evangelium non attulisse distinctionem peccatorum, non tamen dicit eam abstulisse: vel, quod verisimilius est, vult perfectionem legis Evangelicæ a nobis requirere, ut peccata omnia diligenter caveamus, et quoad hoc nullam distinctionem faciamus peccatorum majorum, vel minorum: quam tamen ipse indicat, quæst. 4, in eodem libro, et eodem modo Hieronymus, in Epistola citata ad Celantiam, ubi ex professo constituit in æqualitatem peccatorum, dicens in quolibet gradu æquale peccatum esse vel prohibita admittere, vel justa non facere: solum enim vult ista omnia præcepta æqualiter, id est, sine distinctione personarum omnes obligare.